

ior triennio apud patrem educari debeat, arg. 1. *Nec filium c. de Patria potestat.* ubi Glossa propterea illos versiculos ponit :

Mater alit puerum trimum; trimoque minorem :
Majorem vero pascere patris erit.

Tamen id fallit in casu conclusionis ob favorem religionis, uti bene observat Glossa fin. cit. c. fin. h. 4.; Barbosa, loc. cit.; Sanchez, loc. cit. n. 16. et alii.

7. *Proles doli capax non potest cogi, ut conversum sequatur. Ad fidem nullus est cogendus invitus.* — Dicitur tamen notanter « si doli adhuc sit incapax, » quia si doli et rationis jam capax est proles, ejus libertati relinquitur, an conversum, vel infidelem parentem sequi velit, uti loc. cit. bene docet Sanchez. Ratio est; quia « ad fidem nullus cogendus est invitus, » ut can. *Ad fidem.* 33. cau. 23. q. 5. dicitur, quod etiam statutum fuit in concilio Toletano. 4. cap. lvi. relato, can. *de Judæis.* 5. dist. 45. ibi : « De Judæis autem præcipit sacra synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. » Ratio subjungitur : « Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. » In dubio tamen, an proles rationis capax sit, pro favore religionis judicandum, consequenter proles parenti converso restituenda est. Sanchez, loc. cit. Sa 7. *Matrimonium*, et alii, quia summa est ratio, quæ facit pro Religione, cit. 1. *Sunt personæ, ff. de Relig. et sumptib. fun.* Refert etiam Barbosa, loc. cit. n. 11. ex Azorio iniqua, et nefanda esse pacta illa, vi quorum proles masculæ patri, matri vero fœmellæ in sua fide educandæ relinquantur, etsi sint hæretici. Verum de hoc plura, lib. IV. (ADNOTATIO XIII.)

TITULUS XXXIV.

De voto, et voti redemptione.

1. *De voto remissive.* — Quamvis materia hujus tituli sit etiam canonica, prout patet ex præsentis rubricæ, nihilominus quia theologo tam scholastico, quam morales copiose et exacte de ea tractant (de quo etiam in *Theologia nostra Morali*, tr. VI, dist. 3.) hinc fusiores tractatum theologis relinquentes, more aliorum canonistarum nos ea tantum

hic examinabimus, quæ magis pro foro canonico esse videbuntur. Supposito quid, et quotuplex sit Votum, ac quomodo obliget.

2. *Hæres tenetur ad vota defuncti realia.* — Quæritur I. An hæres teneatur exequi vota defunctorum? Resp. I. Affirmative, si vota sunt realia. Abbas, in c. *Licet.* 6. h. t. et ibi Barbosa, n. 6; Pirhing, h. t. n. 12; Engel, h. t. n. 17; Sanchez, lib. IV. *Moral.* cap. xv. a. n. 25. cum communi aliorum, arg. c. *Ex parte.* 18. de *Censibus*, ubi dicitur successores teneri ad onera realia antecessorum, et c. *Licet.* h. t. l. 2. ff. de *Publicit.* ubi in fine ita habetur : « Qui decimam partem bonorum vovit, si discesserit, ante sepositionem, hæres illius hæreditario nomine obstrictus est; voti enim obligatio (intellige realis) ad hæredes transire constat. » Ratio est, tum quia « res transit cum onere suo » per juris vulgaria; tum quia juxta dicta supra de *Testam.* hæres ad eundem hæreditatem tacite se obligat ad cuncta debita et onera realia defuncti, consequenter ex contractu quem tacite inicit, sicque ex justitia (non item ex religione) obligatur. Notant tamen doctores citati, præsertim Sanchez, Pirhing, quod ultra vires hæreditatis obligatio hæc se non extendat, consequenter si defunctus ducentos vovit, et massa hæreditaria solum in centum consistit, non nisi ad centum obligabitur. Limitat etiam Barbosa conclusionem in hærede necessario, utpote qui saltem in legitima jure naturæ sibi debita (juxta dicta tit. de *Testam.*) onere aliquo gravari non potest.

3. *Et mixta quoad partem realem.* — Resp. II. Pariter tenetur hæres ad vota defuncti mixta quoad partem realem, si hæc a personali separari, et independentem ab illa impleri potest : ut si v. g. defunctus vovit peregrinari ad domum Lauretanam, et ibi centum offerre florenos, tenetur hæres ad mittendos centum florenos, licet non teneatur ad peregrinationem, utpote actionem personalem. Barbosam, in c. *Licet.* 6. h. t. et ibi Abbas, Sanchez, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Engel, loc. cit. et communis aliorum, arg. cit. c. *Licet.* 6. h. t. tum juribus, et ratione pro conclusione præcedenti allegatis.

4. *Non item ad vota personalia.* — Resp. III. Ad vota mere personalia defuncti, v. g. jejunia, peregrinationes, orationes, mortificationes corporales, etc. hæredes non tenentur, nisi ad eadem se specialiter obligent.

Ita citati doctores cum communi, et certaliorum. Ratio est, tum quia nullo jure obligatio solvendi vota personalia imponitur hæredibus; tum quia natura voti personalis exigit actionem personalem ipsius voventis, quæ actio, quia post mortem voventis haberi amplius non potest, nullam sui executionem, utpote impossibilem requirit. Hinc etiam docent et communiter, quod neque existente in vivis votum illius personale per alium impleri, et obligationi ejus satisfieri queat. Quamvis laudabilis ac pia sit consuetudo aliorum, qui, dum vota personalia per se exequi amplius nequeunt, ea per alios adimpleri curant.

5. *Nisi specialiter ad ea se obliget.* — Nec obstat conclusioni c. *Licet.* 6. h. t. ubi Papa mandat, votum mixtum etiam quoad partem personalem adimpleri. Nam contra est; quod hoc mandaverit Pontifex non vi voti, sed quia ad eam partem specialiter se obligarit filius hæres, uti patet legenti textum, ibi : « Quod cum pater tuus voverit Domino, etc. et tu, te id adimpleturum sine dilatione promissisti, etc. mandamus, ut exequaris. » Hinc notanter in conclusione diximus : « Nisi ad eadem se specialiter obligent. »

6. *Pœna hæredis debito tempore non solventis vota defuncti.* — Resp. IV. Si hæres vota defuncti, ad quæ tenetur, intra annum, postquam fuit monitus, non exequitur, privandus est omni commodo hæreditario, arg. Auch. *Hoc amplius C. de Fideicom.* et novell. 1. cap. i. § 1. juncto c. 3 et 6. de *Testament.* vide de hoc, quæ diximus supra tit. XXVI. de *Testam.* § 23. n. 794.

7. *Redemptio voti, quid, et quotuplex?* — Quæritur II. Quid sit redemptio voti, et quomodo fieri queat? Resp. Quamvis stricte loquendo redemptio voti fiat, quando obligatio voti personalis transfertur in opus reale, eleemosynam, v. g. vel ædificationem pii loci, uti bene observat Sanchez, lib. IV. *Moral.* cap. xxiv. n. 1; Sylvester, 7. *Votum.* 4. q. 1. ad fin.; Lessius, lib. II. cap. xl. dub. 11, arg. c. 1, h. t.; tamen etiam secundum alios redemptio voti (quæ est secunda pars rubricæ) aliud non est, quam liberatio a voto nondum soluto, ita ut ille a voto redimi dicatur, qui ab illo solvendo liberatur. Quod fieri potest quatuoruplex modo : videlicet I. irritatione voti; II. commutatione illius; III. dispensatione; IV. deficientia aut immutatione materiæ seu objecti : sicut etiam deficienti conditione, vel tempore, casu quo votum est

temporale, aut conditionale. Communis, patetque ex sequentibus.

8. *Irritatio voti quid, et a quo fieri possit?* — Quæritur III. Quid sit irritatio voti, et a quo fieri possit? Resp. I. Irritatio voti est ablatio obligationis ejusdem facta per talem, qui potestatem in voventem, vel in materiam voti habet. Hinc omnis et solus ille irritare potest vota, qui præfata potestate gaudet. Sanchez, loc. cit.; Sporer, tr. III. *secundum præceptum Decalogi*, cap. iii. sect. 2. n. 12; divus Thomas, 2. 2. q. 88. et 89. et communis aliorum. Nec requiritur ad eam alia causa, quam sola voluntas irritantis, arg. can. *Puella.* 2. cau. 20; q. 2, et can. *Manifestum.* 11, cau. 33, q. 5, et docent doctores communiter. Ratio est, quia, cum Deus non acceptet vota in præjudicium tertii, vota quæ sub potestate aliorum existunt, semper hanc tacitam conditionem habent : « Nisi is, sub cujus potestate ago, vel voti materia existit, contradicat, vel quandiu non contradicit. »

9. *Superiores regulares irritare possunt subditorum vota omnia.* — Infertur I. Quod superiores regulares, etiam moniales irritare possint omnia et singula vota suorum subditorum. Doctores citati cum communissima aliorum, præter jura et rationes in conclusione allatas, facit etiam can. 2. cau. 10. q. 4. ibi : « Monacho non licet votum vovere sine consensu abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit. » Ratio est, quia ob votum obedientiæ religiosus in omnibus aliis est subjectus Prælato suo; ac ejus « arbitrium non ex sua, cum velle et nolle non habeat, sed ex vice illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, et cujus imperio se subjecit, voluntate dependet, » ut dicitur c. *Si Religiosus. de Elect.* in 6.

10. *Etiam illa, ad quorum materiam alias religiosus tenetur.* — Extenditur conclusio etiam ad vota talium actionum, ad quas quis alias de jure divino, vel naturali tenetur, v. g. ad votum non mentiendi, non se jactandi, otiose nil loquendi, prout contra Cajetanum, et Tamburinum probabilissime docet Sporer, loc. cit. n. 16; Sanchez, Layman, Suarez, Navarrus, et communis aliorum. Ratio est, quia licet superior non possit talis materiæ obligationem ex jure divino, Ecclesiæ, vel regulæ præcepto descendentem tollere, potest tamen impedire, ne subditus suus novam obligationem sibi imponat, et eam tollere, si imposuit; eo quod « velle et nolle

non habeat, » cit. c. *Si Religiosus, de Elect.* in 6. Licita tamen et valida sunt talia vota tandiu, donec superior ea irritet. ut cum communi bene docet Sporer, loc. cit. n. 15; Layman, lib. IV. tract. IV. cap. vii. n. 6. Suarez, lib. III. cap. vi. *de Voto*. n. 49.

11. *Non tamen votum intrandi strictiorem religionem.* — Limitatur autem conclusio in voto transeundi ad strictiorem religionem. Communis. Ratio est quia hic transitus de jure concessus est, arg. c. *Licet de Regular.* et magis diximus supra. tit. *de Regular.* § 9.

12. *Parentes et tutores irritare possunt omnia vota liberorum, et pupillorum impuberum.* — Infertur II. Quod parentes, et tutores irritare possint vota impuberum liberorum, et pupillorum; omnia et singula, quæ ab impuberibus adhuc emittuntur, Sporer, loc. cit. n. 20; divus Thomas, 2. 2, q. 88, a. 2. cum communissima aliorum. can. 2, cau. 29, q. 2. et can. *Mulier.* 14, cau. 32, q. 4. Ratio est, quia liberi et clientes in hujusmodi tenera ætate quoad omnem materiam et obligationem sibi imponendam ob iudicii et discretionis imbecillitatem perfecte sunt subjecti parentibus, et tutoribus, adeoque in omnibus votis, pactis, et promissionibus semper tacita illa subintelligatur conditio, « Si pater, et tutor non contradicat. »

13. *Etiam post pubertatem, nisi ea puberes facti debite ratificent.* — Nec refert, quod tempore irritationis jam puberes existant liberi aut clientes, quia etiam tunc irritari adhuc possunt omnia eorum vota tempore impubertatis emissa, dummodo puberes facti, illa denuo non ratificarint, prout contra Soto, et alios bene docet Sporer, loc. cit. cum communi aliorum. Ratio est; quia cum horum votum ab initio fuerit infirmum et irritabile, manet tale, donec novam aliam firmitatem per confirmationem, seu ratificationem, tempore pubertatis acquirat, arg. c. *Non firmatur tractu temporis.* 18. *de Reg. jur.* in 6.

14. *Quæ requirantur ad hanc ratificationem?* — Nec sufficit quævis confirmatio seu ratificatio voti in pubertate facti, sed requiruntur tria ad hoc, ut amplius a parentibus, vel tutoribus irritari non possit. Et quidem I. ut pubes ratificans, seu confirmans votum sciat, et recordetur, votum prius a se in impubertate emissum, infirmum fuisse, debile, ac irritabile; II. ut velit de novo se obligare firmiter, ac si nunquam obligatus fuisset; III. ut ita dispositus, verbo, vel saltem mente

votum infirmum repetat. Ut bene docet Sporer, loc. cit. n. 22. videatur etiam Gobath *de Votis.* casu 6, q. 176.

15. *Doctrina practica.* — Cæterum colliges, quod cum vota perpetuæ castitatis, vel ingrediendi religionem, vel in alia materia ab impuberibus puellis ante duodecim nempe annos, vel a masculis ante quatuordecim emissa, in pubertate sæpe omnino non, vel certe non cum requisitis conditionibus confirmantur, aut ratificentur, possint ordinarie sola voluntate parentum, vel tutorum absque ulla causa valide, ac licite irritari: quod bene in praxi notandum. Quod si tamen quis immemor prioris voti in impubertate emissi, aut alias non ex vi prioris obligationis, nec intentione prius votum ratificandi, mere de novo idipsum voveat, utique valebit votum. Juxta omnes.

16. *Possunt etiam puberum vota irritare; et quæ?* — Porro possunt parentes, et tutores irritare etiam puberum liberorum aut clientum vota, in pubertate emissa, sed non nisi ea, quæ ratione materiæ præjudicant patriæ, vel tutorum potestati in libera et expedita familiæ, rerumque suarum, aut commissarum administratione. Communis. Ratio est, quia in dicta materia, non item in aliis subjecti sunt puberes parentum vel tutorum potestati, quæ sola facultatem præbet dispensandi, juxta dicta n. 8. Hinc quamvis possit pater vel tutor irritare puberis votum peregrinationes longinquas instituendi, tota die meditandi, vel orandi, etc. non tamen potest ejusdem irritare votum perpetuæ castitatis, ingrediendi religionem, etc. arg. can. *Puella.* 2. cau. 20. q. 2.

17. *Maritus potest irritare vota uxoris.* — Infertur III. Quod maritus quoque irritare possit uxoris vota illa, quæ ratione materiæ eidem præjudicant, vel in debito conjugali, vel in re domestica. Communis ac certa, cum Glossa in c. *Ex multa.* § *In tanta.* h. t. arg. can. *Quod Deo.* 4. cau. 33. q. 5. et can. *Si tu abstines.* 24. cau. 27. q. 2. Ratio est, quia uxor subjecta est potestati viri in debito conjugali: sicut etiam in iis, quæ bonam gubernationem familiæ, et rerum familiæ administrationem concernunt, juxta illud ad *Ephes.* v. 22: *Mulieres viris suis subjectæ sint sicut Domino.* Concordat can. *Mulierem.* 17. et can. *Adam.* 18. cau. 33. q. 5. In aliis vero materiis vir vota uxoris irritare nequit, ut cum communiori, ac probabiliori docet Suarez, lib. VI. *de Voto.* cap. iv; Innocen-

tius, in c. *Scripturæ. de Voto;* Layman, lib. IV, tract. IV, cap. vii. n. 12; Sporer, tr. III. *In secundum præceptum Decalogi,* c. p. 3. n. 27, contra Abbatem in cil. c. *Scripturæ.* h. t. n. 8. et alios. Ratio est, quia nullo jure probari potest, quod uxor simpliciter, et absolute in omnibus subjecta sit viro, uti subditus religiosus prælato suo, et impuberes parentibus, aut tutoribus; sed tantum in iis quæ concernunt, et tangunt vinculum, et jura matrimonii, ut bene observant doctores citati.

18. *Aliqua, non omnia.* — Colliges, quod licet possit vir irritare uxoris votum continentiæ, multorum jejuniorum, mortificationum corporalium, longarum peregrinationum, excessivarum eleemosynarum, nimis copiosarum precum, et similium; non tamen possit irritare illis votum dandi eleemosynas moderatas, præsertim de bonis paraphernis, moderatarum orationum, vitandi certum peccatum, vel peccati periculum, vel alterius devotionis non præjudiciosa administrationi familiæ, etc.

19. *E contra uxor potest irritare vota mariti: et quæ?* — Porro sicut vir potest irritare vota uxoris, ita et uxor irritare potest mariti vota, quæ vinculo et juribus matrimonii, bonæque administrationi familiæ sunt præjudiciosa arg. c. *Ex multa.* § *In tanta.* h. t. ubi solum excipitur votum viri peregrinandi Jerosolymam in subsidium Terræ Sanctæ uti bene ibidem advertit Glossa, §. *Viri præter uxorem.* Exceptio autem unius regulam in contrarium, per vulgaria. Ratio autem est, quia etiam in his uxor suo modo habet potestatem in virum, juxta illud sancti Pauli I. *Cor.*, vii. 4. *Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier.* Sporer, loc. cit. n. 28.

20. *Dispensatio votorum, quid?* — Quæritur IV. Quid sit dispensatio voti, ex quibus causis, et a quo fieri possit? Resp. I. Dispensatio votorum est ablatio, seu remissio totalis obligationis eorum ob justam et rationabilem causam facta ab habente spiritualem jurisdictionem in personam voventis. Ita in re communis ac certa. Dicitur Ablatio obligationis loco generis. Additur « ob justam et rationabilem causam; » quia, uti in *Theologia nostra moralis,* tract. II. dist. 4. n. 21. et tract. VI, dist. 3, n. 40, cum communi aliorum jam diximus, et tenent, teste Sporer, omnes doctores, dispensatio etiam a Pontifice, et multo magis ab alio sine iusta et rationabili causa

facta in votis non tantum illicita, sed etiam invalida est. Ratio est, quia abest seu deest potestas sive jurisdictio dispensandi; nulla enim potestas seu jurisdictio dispensandi in lege superioris (qualis est potestas dispensandi in votis, utpote quæ lege Dei, qui est superior quovis etiam Pontifice) a legislatore datur, vel data censetur, nisi justa et rationabili ex causa; cum potestas in lege superioris Dei v. g. dispensandi, Ecclesiæ data sit in *edificationem, et non in destructionem,* ut dicit Apostolus II, *Cor.*, xiii. 10. ubi autem abest conditio, sub qua datur dispensandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter et ipsa dispensatio, arg. 1. *Si quis sub conditione,* ff. *Si quis omissa causa.*

21. *Sine justa causa, data vel obtenta, illicita atque invalida est. Ponitur doctrina practica.* — Et hoc bene advertere debent illi, qui ex privilegiis potestatem dispensandi in votis habent; ne scilicet sine justa, et rationabili causa dispensent, siquidem quævis dispensatio hujusmodi non tantum illicita, sed et invalida foret. Idem est in quavis dispensatione legis superioris, ut si subinde rev. ordinarii ex speciali privilegio in certis legibus ecclesiasticis dispensandi potestatem habent; semper enim illicite et invalide agunt quoties sine vera, et rationabili causa dispensant, uti etiam meminimus in nostra *Theologia morali* cit. tr. II, dist. 4, a. n. 21. Idipsum quoque advertere debent illi, qui vel a Pontifice, vel ab ordinariis dispensationes votorum impetrant, ne videlicet sine justa causa eam sollicitent, quia illicita semper, et invalida esset dispensatio sine vera et justa causa obtenta. Et in hoc differt dispensatio ab irritatione voti, hæc enim, cum nomine, et auctoritate propria et non aliena fiat, valida erit, etsi nulla rationabilis causa votum irritandi adsit juxta dicta n. 8. Non sic dispensatio, utpote quæ nomine alterius, et quidem superioris, potestatem sine causa dispensandi nunquam dantis sit.

22. *Enumerantur justæ causæ dispensandi.* — Resp. II. Causæ justæ dispensandi in votis sunt potissimum quatuor, ad quas cæteræ commode reduci possunt. Prima est imperfectio actus, ac imperfecta deliberatio; ratione cujus dispensari potest in votis illorum, qui ea in tenera ætate, præsertim ante pubertatem emittunt, c. 2. h. t. Idem qui in ira, metu, mœrore, tristitia, aut alia mentis perturbatione oppressi voverunt.

23. Secunda causa dispensandi est nota-

bilis, et valde magna exequendi votum difficultas, non tantum ea, quæ prius incognita supervenit, sed etiam quæ prius jam fuerit prævisa, eo quod semper longe difficilior appareat res, dum illius instat executio, quam dum a longe providetur; unde merito ad propositum exclamat Tamburinus, lib. III. in *Decalog.* cap. XVI. § 3, n. 18. « O quoties dum mente et cogitatione tantum præliamur, in quæcunque magna assurgimus, in quæcunque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum trepidamus, et terga etiam volentes vertimus. » Ratio est, quia, ut bene advertit Sanchez, lib. IV. *Moral.* cap. XLV, n. 41, hoc valde consentaneum est benignitati Dei, præsertim cum ob nimiam difficultatem frequens periculum transgressionis sit. Abbas in c. *Non est*, 5. h. t.

24. Tertia causa est damnum spirituale, corporale, vel temporale occasione voti proveniens. Sic dispensatur in voto castitatis, si vovens ex naturæ fragilitate sæpe labatur; tali enim in casu votum esset ruina spiritualis labentem duplici semper peccato gravans: item dispensatur, cum eo, qui ratione voti multis cruciatur scrupulis, et anxietatibus: item cum illo, qui ex observatione voti patitur damnum in sanitate corporis; vel si eidem aut suis inde emergat notabile damnum in bonis fortunæ, ut sit, si mediocris fortunæ, vel communis civis vovet longas peregrinationes, copiosas eleemosynas, austeram jejunia, aut alias indiscretas corporis mortificationes, arg. c. 1. et *Magnæ*. h. t. Ratio est, quæ supra.

25. Quarta causa est bonum commune præsertim Ecclesiæ, vel reipublicæ. Sic dispensatur in tribus votis religionis, vel etiam voto castitatis ratione ordinum majorum tacite emisso, ut possit, qui unicus hæres est regni, aut provinciæ, nubere, si prævidetur ita proficuum esse reipublicæ, quæ alias ob successionem bellis concuteretur, aut aliis perturbationibus, arg. cit. c. *Magnæ* et c. *Ex multa*. h. t. Ratio est, quia bonum commune præferendum est privato. Ita de causis dispensandi in votis communiter theologi, quos vide, præsertim Sanchez, lib. IV, *Moral.* disp. 45; Suarez, lib. IV, *de Voto*, cap. XVII; Layman, lib. IV, tract. IV, cap. VIII, n. 5; Sporer, loc. cit. n. 39, et canonistas in c. 1, 2, item c. *Magnæ*. 1, et c. *Ex multa*, 9, h. t. vide etiam quæ de his causis diximus in nostra *Theologia moralis*, loc. cit. Dicitur etiam in definitione dispensationis votorum, « ab

habente spiritualem jurisdictionem in personam voventis: » hinc ad tertiam quæsitam partem, de iis, qui dispensare possunt.

26. *Papa potest in omnibus votis dispensare.* — Resp. III. Summus Pontifex habet a Deo potestatem ac jurisdictionem, ex justa ac rationabili causa dispensandi in quovis voto tam simplici, quam solemniori. Unanimis ac certa. Patetque ex perpetua praxi, et traditione Ecclesiæ, necnon ex illis verbis Christi. *Matth.* XVI, 19, ibi: *Tibi dabo claves regni cælorum; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.*

27. *Idem potest episcopus.* — Resp. IV. Etiam episcopi jure ordinario habent, potestatem dispensandi in cunctis votis suorum subditorum, iis solis exceptis, quorum dispensationem specialiter sibi reservet Summus Pontifex. Rursus communis ac certa, arg. c. 1, h. t. Ratio est, quia episcopi succedunt apostolis; quibus dictum est, *Matth.* XVIII, 18. *Quæcunque alligaveritis, etc., et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis.* Verum sicut apostolorum potestas fuit subordinata potestati sancti Petri, tanquam vicarii Christi, et capitis visibilis totius Ecclesiæ, ita potestas episcoporum subordinata est Summo Pontifici, tanquam successori Petri, qui proin potestatem episcoporum in actu secundo restringere potest, et actu restrinxit, reservando sibi dispensationem certorum votorum, de quibus conclusio sequens.

28. *Exceptis quinque votis Papæ specialiter reservatis. Quænam sint illa?* — Resp. V. Vota soli Pontifici reservata sunt quinque, videlicet, I. Votum castitatis perpetuæ. II. Vota religionis ab Ecclesia approbatæ. III. Votum peregrinandi Hierosolymam ad sanctum Sepulcrum. IV. Votum peregrinandi Romam ad limina Apostolorum Petri et Pauli. V. Votum peregrinandi Compostellam ad sanctum Jacobum. Sanchez, lib. IV. *Moral.* cap. XX, n. 6. cum communissima aliorum. arg. extravag. *Etsi Dominici*. 5. *de Pœnit. et remiss.* ubi sub excommunicatione prohibetur, ne quis sine speciali licentia summi Pontificis in aliquo dictorum votorum dispense. Verum quia hæc reservatio est præjudiciosa juri ordinario episcoporum, ideo tanquam odiosa strictè interpretanda erit juxta communissimam, arg. c. *Odia. de Reg. juris.* in 6. consequenter tantummodo intelligenda de votis proprie dictis, perfectis, absolutis, determinatis, et quidem præ-

cise quoad substantiam, non item quoad qualitates, vel circumstantias eorum. (AD-NOTATIO XIV.)

29. *Hæc quinque vota non sunt reservata in sequentibus casibus. I. Si non fiunt Deo, sed beatæ Virgini Mariæ, vel Sancto.* — Infertur I. Non esse votum reservatum, si ut sæpe fit, puella v. g. non Deo, sed beatæ Virgini Mariæ, vel Sancto alicui promittit perpetuam castitatem, sine reflexione obligandi se Deo. Ratio est, quia non est votum proprie dictum, utpote quod est promissio facta Deo. Gobat. *de Votis*, casu 1, n. 21; Sporer, loc. cit. n. 58. Aliud foret, si specialiter in honorem beatæ Virgini Mariæ voveret Deo.

30. *II. Si fiunt ex metu etiam levi injuste incusso.* — Infertur II. Non esse vota reservata, quæ fiunt ex metu etiam levi injuste incusso (ex gravi enim metu emissa vota non indigent dispensatione, sed per se irrita sunt.) Sanchez, lib. IV. *Moral.* cap. XL, n. 30; Navarrus, cap. XII, n. 59; Layman, loc. cit. n. 40; Sporer, loc. cit. n. 59; Angelus, *ÿ. Votum*. 4. n. 9. arg. c. *Veniens*. 5. *Qui Clerici, et voventes.* Ratio est, tum quia tale votum non est omnino perfectum, utpote quod vovens principaliter non emisit amore virtutis, ne principali intentione obsequium præstandi Deo, sed id evitandi et declinandi, quod timuit: tum quia Pontifex non censetur per reservationes suas fovere iniquitatem et injuriam aliorum, quod tamen foret, si votum ex metu injuste incusso emissum reservaret.

31. *III. Si non pœnalia.* — Infertur III. Non esse vota reservata pœnalia, seu sub pœna; v. g. Si quis dicat: « Si iterum lusero, promitto perpetuam castitatem; » vel: « Si iterum fornicatus fuero, voveo religionem. » Sanchez, loc. cit. n. 9; Sporer, loc. cit. n. 62; Miranda, tom. 1, q. 48, a. 6; Layman, lib. IV, tract. IV, cap. VIII, n. 9. et satis communis aliorum: quibus etiam in *Theologia nostra moralis*, tract. VI, dist. 3, n. 46. adhæsimus. Ratio est, quia etiam talia vota non sunt omnino perfecta, cum non fiant amore virtutis, seu materiæ promissæ, sed magis cum animi aversione, aut timore obligationis contrahendæ mens retrahatur ab alio crimine. Quod, si tamen fieret in pœnam criminis jam commissi, v. g. si quis ita voveret, « quia toties fornicatus sum, voveo perpetuam castitatem, » utique esse reservatum, uti bene notat Sanchez, loc. cit. n. 88.

32. *IV. Si fiunt sub conditione.* — Infertur IV. Non esse reservata vota facta sub conditione de futuro, v. g. « Voveo perpetuam castitatem, si sanitati restituar: si parens meus convalescerit: si ab hoc periculo, vel tribulatione eripiar, » vel « si hoc aut illud officium obtineam, » etc. Et quidem ante conditionem non esse tale votum reservatum, consequenter in eo episcopum dispensare posse, fere conveniunt doctores. An vero etiam post impletam conditionem, sit a reservatione immune? consequenter per episcopum dispensabile, aliqua est controversia; Layman siquidem, loc. cit. n. 40. Herinx, disp. 4. *de Voto*, q. 6, n. 6. cum communiori aliorum, quos secuti sumus in *Theologia nostra moralis*, loc. cit. docent, post impletam conditionem esse reservatum, eo quod votum conditionatum, sicut quivis alius contractus conditione impleta transit in absolutum. I. *Potior*. ff. *Qui potiores pignore*.

33. *Etiam si conditio fuerit completa. Ubi majus conceditur, minus concessum videtur.* — E contra Sanchez, loc. cit. n. 98. citans Antonium Gomez in Bullam Cruciatæ, clausula 10, n. 99; Toledo, lib. IV, *Summæ*, cap. XVIII, n. 11; Ledesma, Sayr, et alii docent, etiam post impletam conditionem non esse reservata: eandem probabilem, ac in praxi tutam censet Sporer, loc. cit. n. 66. Estque teste Gomez, frequentissima praxi virorum sapientissimorum recepta: quam et nos, si non probabiliorem, certe in praxi tutissimam æstimamus, non obstante, quod in *Theologia nostra moralis*, loc. cit. priorem sententiam probabiliorem reputaverimus. Ratio est, quia revera etiam talia vota non sunt perfecta, cum principaliter nec amore virtutis, nec amore obsequium præstandi Deo, fiant, sed desiderio vel affectu aliquid obtinendi, vel ut quis ab hoc vel illo liberetur, ut consideranti patet. Confirmatur: Ob eandem rationem vota metu levi injuste incusso emissa, et vota pœnalia, etiam post impletam conditionem non sunt reservata juxta ipsos adversarios, uti videre est apud Layman, loc. cit., ergo ob eandem rationem nec vota conditionata erunt reservata, cum « ubi eadem est ratio, eadem sit juris dispositio, » per vulgaria. Confirmatur ulterius: Votum pœnale est magis perfectum, quam votum sub alia conditione, v. g. conservandæ sanitatis; ergo si illud post impletam conditionem, reservationis expers est, etiam